

Ann. X.

ROMAE, Kal. Iuliis M DCCCC VII

Num. VII.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS


SEMEL IN MENSE PRODIT

Pretium annuae subnotationis, *ante solvendum*, est: in Italia Libellarum 4,80;
ubique extra Italiam Lib. 6,25; Doll. 1,25; Sch. 5; M. 5; Rubl. 3; Coron. 6,25.

Inscriptiones et omne genus indicationes pretio aequissimo referuntur, quod est in commentarii operculo
Lib. 0.10 pro unoquoque centimetro quadrato.

Cuncta mittantur ad ARISTIDEM LEONORI equitem, commentarii VOX URBIS possessorem et administratorem

ROMA — Via Alessandrina, 87 — ROMA



Subnotatio fieri potest:

IN RUSSIA

Apud GEBETHNER ET WOLF Apud "KRONICA RODZINNA,"

VARSAVIAE POLONORUM
Rakowskie Przedmiescie, 15.

IN ANGLIA

Apud BURNS AND OATES

VARSAVIAE POLONORUM
Krakowskie Przedmiescie, 6.

IN GERMANIA

Apud FRIDERICUM PUSTET
S. Sed. Ap et S. Rit. Congr. Typ.

LONDON W.
28, Orchard Street.

RATISBONAE in BAVARIA.

IN CANADA

Apud LIBRAIRIE GRANGER FRÈRES

MONTREAL
1699, Rue Notre-Dame.

RERUM INDEX

Ex Germania.

De re litteraria apud Subalpinos.

Quid rhetoricae tribuendum sit in Dionysii Halicarnassensis historia.
(Specimen).

Francisco Della Corte Cavensi medico illustri anno quinquagesimo a quo in atheneo Neapolitano laureae honore decoratus est.

De familiaribus Indorum moribus in Americis.

Haganus de pace conventus alter.

Colloquia latina. - Lusus velitaris.

SS. D. N. PII PP. X Iubilaeum sacerdotale.

Ex SS. Congregationibus Romanis sententiae novissimae selectae.

Diarium Vaticanum. - Coram SSmo admissiones. - Pontificiae electiones. - Vita funerti viri clariores. - Varia.

Annales: - Gallicae seditiones. - Regales feriae. - Lusitanorum discordia. - Orientales tumultus. - Haganus de pace conventus alter. - Pacis novum foedus.

Publici per Orbem coetus legibus ferendis.

Per Orbem.

Librorum recensio.

Libri recens dono accepti.

Aenigmata.

In tertia operculi pagina:

ZENO - Tragoedia JOSEPHI SIMONIS Angli. (Passim retractavit hodiernisque scenis aptavit I. F.).

ROMAE

EX OFFICINA PACIS, PH. CUGGIANI

35, Via della Pace

M DCCCC VII



T. ET G. FRATRUM PARISI
Pontificia officina Candalarum ad Sacra
Facularumque sine oleo ad noctem, decem horas ardentium.

ROMAE in ITALIA, in Foro Campi Martii, 6

Peculiaris candelarum liturgicarum fabricatio ad S. Sacrificii celebrationem - Cerei Paschales
- Lumen Christi - Cerei ad Officia Tenebrarum - Cerei ornamenti decori ad baptismata et
Sacram Synaxim primum recipiendam - Filum cera madefactum ad candelas accendendas.

Merces ad omnes orbis portus nullo impendio iubentium, ne pro colligatione quidem, mittitur.

REQUIRANTUR CATALOGUS ET PRETIA

Officinae honores concessere Summi Pontifices PIUS IX, LEO XIII, PIUS X.

Commercium epistolare habetur Italica, Latina, Anglica, Gallica, Theutonica, Hispanica lingua.

Sociis et lectoribus officinam hanc Candalarum ad Sacra enixe commendamus,
quae per orbem universum operis suae fructus iamiam disseminavit.

SUPELLEX AD RES DIVINAS

Commentarii VOX URBIS administratio recto tramite suppeditat supellectilem omnem, qua tum in templis, tum in oratoriis ad res divinas uti solemus.

Mandata ad VOCIS URBIS administratorem (Romam, *via Alessandrina, 87*)
mittantur, res praecise indicando, quas quisque sibi cupit. Gratuito sumptuum
aestimatio fiet.

SATURIO

Comoedia latinis versibus conscripta a clarissimo viro
Ioanne Baptista Francesia et per Commentarii VOX URBIS
paginas vulgata, in volumen redacta est, quod apud Com-
mentarii eiusdem administratorem venale prostat lib. 1.

IN LUDIS LITTERARUM OPTIMA TIRONIBUS SCENICE AGENDI EXERCITATIO.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

PRETUM SUBNOTATIONIS:
In Italia: Lib. 4,80 — Ubique extra Italiam:
Lib. 6,25, Doll. 1,25, Sch. 5, M. 5, Rubl. 3, Coron. 6,25

SEMEL IN MENSE PRODIT

POSSESSOR ET ADMINISTRATOR.
ARISTIDES LEONORI, eques.
ROMAE — Via Alessandrina, 87.

EX GERMANIA

Quum hodiernae Germanorum felicitatis inquiruntur causae, non semel accidit ut praecipua eorum vis in exercitu et classi palam manifesta tantum computetur; reliqua vero laborum, commerciorum, litterarumque facinora praetermittantur, quibus tamen factum est ut altissimum hoc fastigium, quod videmus, Germanica fortuna attigerit. Neque enim exercitus neque classis esse sine pecunia possunt, neque pecunia ulla absque labore comparatur, neque multa agmina nisi ex populo frequenti deliguntur, neque frequens populus denique multis absque opibus alitur.

Prosperitatem igitur Germaniae terrae nostrae primo oculi intuitu viae ferreae ostendunt, eius quae per terras late multiplicantur. Ut enim primo tempore aegre admodum et quasi legis vi coacti cives suos quisque per agros ferreis tramitis sternendis dabant viam, ita paullatim habita private necessitatis ratione atque commerciorum utilitate comparata, ad eos quocumque deducendos libentissimo concursu, rustici et oppidani, urbanique ac suburbani incolae contulere manus et opes.

Prima huiusmodi via a Francoforte urbe usque ad Norimbergam anno M DCCC XXXV aperta est: duobus inde annis a Saxonis ad Borussos, Berolinum inter ac Dresdam altera patuit, ac statim alia deducta est Berolino ab urbe Postdam usque. Decimo vero inde anno collegium est conditum, quod a ferreis viis nomen accepit, cuius moderatores quantum in rem laborem quantamque pecuniam contulerint, enarrabit nemo. Eos sequuta varia quidem Germaniae regna suas quaeque per terras ferrea ducere itinera instituere, quod plane facinus publico aere atque publica utilitate ad nos usque exercent. Quamobrem inter summos totius imperii magistratus ferrearum viarum curator maximus hodie adest.

Publica vero haec gestio non sine multo tum singulorum civium, tum totius imperii utilitate exercetur; nam et itinerum pretium mite, et commodae vehes, et ingens reipublicae lucrum. Quibus plane modis contigit ut ferrearum viarum tramites novissimis hisce lustris incredibili fere facilitate fuerint multiplicati, idque longe magis quam aemula in Gallia et in latissimo quoque Russorum imperio acciderit.

Ferreis sic auctis viis, fluviales quoque multae et auctae, et innovatae et dilatatae sunt. Utraque enim via augendis commerciis inservit, ac

uterque negotiorum modus invicem perficitur. Res enim, quas deferre nimia velocitate hand praestat, minori pretio scaphis et navigiis per flumina transferuntur, atque facilis per omne anni tempus commercia dividuntur, quae ducent simul uno eodemque tempore non licet. Pretiosae ideo magis merces et quae mora corrumpuntur vaporitrahis; viliores vero et magis duratura navigiis commutantur. Multiplicantur ideo naves quae lateres, petras, ferrum, ligna aliaque huiusmodi deferunt, adeo ut tum per officinas urbium, tum per oppida huiusmodi res multo minoris veneant, quam si curribus vapore actis traducentur.

Germanicos si dinumerare velim rivos longissimum sit, nec locus in praesenti huic enumerationi haberetur. Sed rivum seu flumen memorare operae praetium est, quod deducetur Aussig ab urbe, per Bohemorum terram omnem, Vindobonam usque ad Danuvium flumen, quo plane opere peracto nemini praedicere licet quale Hamburgensis portus augmentum erit futurum, qui non modo oceanicum commercium accipiet, verum etiam omnes merces et negotia, quae Vindobonam ad urbem, per Danuvii aquas ex ultimo Oriente, nempe e Syria, e Graecia atque e Russia mittuntur.

Hac itaque via merces gentium medium quae Europam incolunt orientis litora facilime attingent, atque Asiam illam, per quam aes Germanicum nova iam ferrea itinera dedit.

Nemo inde mirabitur commerciorum pretium, quod Germani et cum finitimis populis et cum maxime dissitis commutant, novissimis annis citissime esse multiplicatum, atque centies iam centena millia libellarum plures viciisse, quum vix tricies Gallica commercia id potuerint. Ipsaque modo exorta commerciorum gravis perturbatio, quae tantum per Germanicas urbes metum diffudit, civium patientia et constantia devicta evanuit, iamque ad nova iterum augmenta imperii opes crescere videntur. Id vero maxime contigit in commerciis quae cum finitimis Russis Germanorum populi habent. Nihil enim in Russia venit, quod Germanum non sit, sive machinae, sive chordae, sive vitra, aliave huiusmodi, ita ut Russorum omnis supplex inter Germanos fabrefacta videatur. Simile aliquid contigit in Suetiis, in Norvegis, et in Danis, ubi et saccarum a Germanis expolitum infertur, et Germanicis opibus aquarum fluctus in electridis vires commutantur, et Germanicae mercatoriae sodalitates passim et ubique conduntur.

Nec in Belgis, aut in Austris, vel in Helvetiis alias res sese habet; quinimo ipsa An-

glorum commercia per orbem late diffusa alacri hoc Germanorum labore multa per loca vincuntur.

Hisce tamen ansibus non aequa semper neque eadem arrisit fortuna. Multa enim, primo praesertim tempore, facinora vana evaserunt, multa incassum inita, neque pauci ferme cives hos inter ausus bona amisere sua, aereque obruti alieno, alio migrare coacti sunt ac patriam linquentes in Americam vel Asiam lares penatesque deferre. Quamobrem annis praesertim M DCCC LXXXI-LXXXVI, septuagies Germanorum millia alienas in terras emigrarunt; idque primum in Americam septemtrionalem, modo vero et in Brasiliam et in Africam.

Brevi vero, aptis legibus a reipublicae magistratibus latis, tantus emigrantium numerus paullatim est imminutus feliciter; timebant enim ne, multitudine populi imminuta, hand satis essent cives qui ad legiones vocarentur. At Germanorum vis adeo late diffusa, quantum in imperii fortunam incrementum per commercia attulerit hand facile dixeris, atque eorum praesertim opera factum est ut late per orbem Germanici commercii viae sint facilime multiplicatae. Quae non ultima adactae semper eorum fortunae ratio effecta est.

R. M.

DE RE LITTERARIA APUD SUBALPINOS

Si quis velit res subalpinas praeteriti numeri saeculi vel leviter in mentem revocare, iam illud in promptu est, litteras ingenuas apud nos ineunte saeculo ab exiguis profectas initis, primo crescere, et paullatim, admidente praesertim Carolo Alberto rege, ad summum perduci. Iuvabit propterea paucis in medium proferre quidquid regis huius munificentissimi suffragio cautum fuit, ut hominibus, bonarum artium studiosis, via ad litteras arripiendas facile muniretur. Res longa est ac difficilis hic memorare, quibusnam casibus, primo sub externo Gallorum dominatu, ac deinceps post regum in urbem principem redditum, rerum novarum suspicionibus iactati fuerint quotquot mansuetiores musas excolet. Et quamvis omni tempore, Deo adiuvante, complures magni viri ingenio extiterint, pauci tamen, nec equidem prudentiores, se se ad scribendi munus conferebant, nescio quo fato abstracti. Et ipsi aridi, inepti, horrido quodam stilo adstricti, ad ceteras Italiae regiones minime pervenire contendebant.

Verum, adventante Carolo Alberto, qui ob singularem virtutem cognomento est dictus *magnanimus*, omnia apud nos in melius conversa sunt, et liberaliores doctrinae, quae ante pestilentii quodam sidere veluti afflatae conticescere videbantur, vehementius excoli coepitae sunt.

Prudentissimus enim princeps, militiae pariter ac domi clarus, omne disciplinarum genus instaurare cupiens, nedum suos ad studia munieribus honoribusque adlexit, sed etiam doctissimos undique viros, maximis propositis praemissis ornamentiisque ad docendum in magno athenaeo Taurinensi invitavit.

In primis memorare placet quibus laudibus et quo munere decorarit Carolum Bottam, qui patrum nostrorum temporibus, tam eleganti forma atque amplioribus imaginibus post Guicciardinum usque ad suam aetatem Italorum historiam exaravit, et innumerabiles rerum conversiones, et civium virtutem, et eventuum varietatem, ut cum ipso Tito Livio decertare videatur. Sapientissimus princeps hoc unum, tot beneficiis suos cumulando sibi proposuerat, ut Augusta Taurinorum, sui regni caput, inter Italiae civitates, recentiore cultu atque monumentorum elegantia adnumerari digna tandem haberetur. Et quae olim, renascentibus in Italia litteris, domus Medicea Florentiae composuerat, eoque nomine maximi apud omnes gentes habebatur, alacriore animo adgressus perficie nitebatur.

Omnium tunc disciplinarum studiis instauratis, et magisteriis auctis, archigymnasio Taurinensi ampliorem dignitatem conciliavit. Ex politissimis pictoribus munus concessit res ab atavis suis egregie gestas in aula pingendi. Quamobrem omnis regia elegantibus picturis subito renidet. In media urbe, in splendidissima area, cui est titulus *Caroliniana*, ex templo S. Carolo dicato, posita est equestris statua *Emmanuelis Philiberti*, qui anno M D L V I I Galliae fines ingredi non dubitavit, sub stipendiis Caroli V imperatoris, castrisque positis ad Augustam Verandomorum, III Idus Sextiles maximo praefilio fortissimas Gallorum copias penitus profligavit, ipsumque hostium ducem in potestatem suam rededit. Quo facto, omnes intelligentis ingenii viri, hanc opportunitatem nacti, maiore animo, ad probata iam sibi antea studia contulerunt. Praesertim vero, quum pacis diurnitas otium confirmaret, nemo fere landis cupidus adolescens non sibi ad musas acrius collendas studio omni enitendum putavit.

Haec vero aetas, quam auream iure merito que adpellaverim, magnum ingeniorum fructum edidit, qui, improbo labore litteras coluerunt, atque uberrimam doctrinae segetem haurientes, eam cum civibus facile citra invidiam communicabant, sed, prae ceteris, eloquentiae nostri studebant, quae populari imperio maxime dominatur.

Namque omnes, qui de re publica iudicare tunc poterant, animo iam facile praesagiebant mox nova tempora oritura esse, quibus princeps et populus, res olim dissociabiles, ad rerum gubernacula advocari, atque in unam simul potestatem coalescere possent. Tunc eleganssimum litterarum ornatus fuit, et praestanssimi oratores, poetae atque historici exti-

terunt, qui subalpinorum nomen apud omnes gentes renovarunt.

At nova rerum italicarum fata subito exorta regem alio verterunt. Antequam vero ad Insubriam cum exercitu pugnaturus pro libertate adversus Austriacos proficisceretur, Pio IX Pontifici Maximo se, sua suosque confidentissimo animo tradere voluit. Constat enim apud omnes an. M D C C C X L VI Pium IX, Pontificem Maximum renuntiatum, imperium sacrum suscepisse incredibili Christiani Nominis laetitia. Ad haec, quum animum temporibus parem in pectore gereret, regnum vix auspicatus, a motu civilium oblivione, clementiae laude in clarescens, ab omnibus feliciorum saeculorum restitutor salutabatur.

Eodem fere tempore, adsurgentibus in Austriacos Insubribus, Carolus Albertus magnae animae prodigus, Ticino traecto, omnibus rebus in regno interruptis, se in easum irrevocabilem dedit. Tunc universa Italia, in eum admiratione perculta, et veluti sui iam iuris et mancipii, illud magnanimo Principi Horatianum de Augusto aptari voluit:

. solus
Res italias armis tuteris, moribus ornes,
Legibus emendes . . .

Dolendum sane quod fortissimus princeps, post aliquot victorias de hostibus relatas, inferior armis animoque tamen firmus discesserit. Quo facto moerori cedens, regno abdicato, atque inter suorum lacrimas, voluntarie in exsilium profectus, apud Portum Calensem in Lusitania, memorabile inconstantiae rerum exemplar, aeterna unice spectans, omnibus flebilis, sanctissimisque religionibus rite perfunctus, vitae finem placide adspexit.

Haec erant in medium proferenda, quo melius quisque mente adquirere posset, quae prium sub imperio Caroli Alberti, a Subalpinis sunt facta, et quae in posterum, ipso suadente, perfecta esse vidimus. Haec sum breviter scripturus. Ut autem tu, candide lector, hanc tenuem litteratorum subalpinorum narrationem aequi bonique facias, etiam atque etiam rogo.

SUBALPINUS.

Quid rhetoricae tribuendum sit
in Dionysii Halicarnassensis historia
(Specimen)

HAUD dubium est quin dionysianum dicendi genus fusum sit, non expeditum et facile currens, ideoque satietatem quamdam in lectorem inducat. Quod si meam datur sententiam explicare, rerum veterum memoriam calamistris quasi Dionysius videtur inussisse, utpote qui nimis a siccitate orationis absit.

Quid enim opus est verborum ubertate et copia, sententiarum apparatu, frequenti dicensu, huiusmodique pigmentis ac fuso ad res gestas litteris mandandas? An credimus has lenocinio sermonis egere ut magis veritatem attingant, aptius temporum ordines et loca effingant, arctiusque legentium animos allificant? Minime quidem, si tecum perpendas historiam non rhetoricae in partem venire.

Attamen Halicarnassensis rerum scriptor historiae leges plerumque perfringit. Nam flores orationi aspergit, e rhetorica — quod in primis fugiendum est — libenter mutuatur, veteres novasque res coacervat, multum in eas inducit colorem, suos homines praeter modum extollit, priscam romanam gentem laudibus efferendo, non semper doctus et intellegens rerum aestimator.

Quin etiam sese contorquet, ut novas belli pacis rationes inquirat, nova mentis cogitata eloquatur, aequis oculis supervacanea aspiciat! Quid mirum, si duces in acie verba pronuntiant exaggerata altius oratione, potius quam animos militum accendunt ut contra hostes congregantur? Quid mirum si, dum in magno discrimine domi res vertitur, exardent in foro concertationum plenae disputationes, quas sibi cogitatione Dionysius depingit, utrum pax anteponenda sit bello an bellum per fetiales indicendum? Quid mirum, si continuo a tribunis vel a consulibus de uninsecusque civis officio disseritur, de inimicitiis cum urbis principibus, de utilitate concordiae aut discordiae detimento, quadam gravitatis ostentatione, tamquam si historici sit de vita et moribus concionari.

Ut pictor qui, suis viribus materiam aequam non sumens, tabulam effingit figuraeque multifariam evertit ambitus, quum satis suo exaggerandi ingenio indulgeat, nulla paene servata regula; sic Dionysius, copiose scribendi avidus, romanarum antiquitatum fines praeterit, temporum rationem saepe non servat et notat, non nullusque per errores labitur.

Ex hoc facile intelligimus cur in undecim libros extenderit quae Livius in tres contrahit! Quot enim verbis patavinus scriptor non eget! Quot argumenta strictim acriterque hic attigit, quantaque ingenii celeritate!

Scimus profecto quanam ratione possit auctor in rhetorica dilabi, in illud idest vitium quod — prope dixerim — intellectum cogit veritate aberrare, quae non sentiat exprimere, in sermone affectare cultum, praesertim quum in rebus versetur commenticiis, quamquam non possumus quin in huiusmodi dicendi genus invehamur.

At Dionysius qui vult rerum scriptor dici, qui in historia scribenda potissimum veritati prospiciendum monet, quum sit veritatis cognitio doctrinae prudentiaeque principium, non satis videtur suis principiis stetisse. Nam in opere quod *Archaeologia* inscribitur, cuius eviginti libris decem tantum integri ad nos per venerunt, turgido narrat ore, multisque pigmentis ad rhetorica pertinentibus, quae vel maxime impediunt quominus narratio dilucida sit et facile currat. Quod si verum dicere volumus, is auctor veterum romanarum rerum memoriam studet confidere eodem fere consilio, quo Vergilius suam *Aeneida* canit. Sed hic est locus: quantum enim differt inter ambos!

Vergilius est quasi effector materiei, quippe poeta summus latinique epos princeps: suis in manibus fama rerum mirabil modo conficitur, concinnis expolitum versibus, quum is, nullo adstrictus vinculo, libere possit comminisci liberrimeque mentis fervorem in carmina effundere....

Dionysio autem, utpote rerum scriptori, ne romano quidem — quod vel magni momenti est, si quis animo meditetur, quantum intersit operis ut auctor evigilet in eo suosque patios, ut ita dicam, sensus afferat, cum aliena evolvens, tum prae se referens quod enarraturus sit — nulla erat potestas ab historiae ordine declinandi, et plurima dicendi quam quae in fontibus usurpati repperisset! Sequitur ut in hoc genere mendosus fiat, in eorundem fere verborum ac sententiarum assiduitatem incidat, sui saepe mentionem iniciat, sub specie rerum plane exponendarum, enunciatisque redundet otiosis ac futilitatis plenis.



Hic fortasse dixerit quispiam, non historiam scripsisse Dionysium, sed potius de plurimis disputasse rebus ad priscos Romanorum mores et instituta pertinentibus; non unam suscepisse mentem voluntatemque quo spectaret ordinatae veniendi, sed potius e variis collegisse fontibus quidquid sibi probaretur. Neque fallimur, si ea quae sunt in prooemio — Dionysius enim, aliorum more, quid de argumentis historiae sentiat, exponit, utrum id est tractanda sint turpia ac parvi pretii, an optima magnique momenti — brevi consideremus, in quo se suo operi talem formam dedisse affirmat: « οὐκ εἰ τοῖς περὶ τοὺς πολιτικοὺς διατρίβουσι λόγους, καὶ τοῖς περὶ τὴν φιλόσοφον ἐσπουδακότι θεωρίαν, καὶ εἰ τισιν σόχλητου δεήσει διαγωγῆς ἐν ιστορικοῖς ἀναγνώσμασιν, ἀποχρώντως ἔχουσι (ἢ πραγματείᾳ) φαίνηται » (1).

Nihil mirum igitur si, eodem in libro, de legibus perfuse disserit, quomodo de lege aliquid derogatum sit, quomodo contionem advocaverint consules et comitia fecerint; de servitute, quomodo servile iugum a cervicibus deiectum sit et plebs dominationem refregerit; de uniuscuiusque rei causis et consecutionibus, de moribus corruptis, quanam ratione illa aetate virtutes parvi pendantur; de sacris, quomodo priscæ gentes confecerint ea diisque supplicia decreverint; de nundinis, de festis, de fabulis, de ludis, de carminibus triumphalibus, certe risque notionibus. Quin etiam, eo loquacitatis procedit, ut quaestionem quoque attingat animusne omni admixtione corporis liberatus dissolvatur, an, quum discesserit, praescriptum per intervallum supersit; nonnullaque saepe nomina velit endare, in quibus tamen multum peccat!

(1) V. Prooem. VI.

(Ad proximum numerum).


Rerum expetendarum tria sunt genera; nam est quiddam quod sua vi nos alliciat ad sese, non emolumento captans aliquo, sed trahens sua dignitate: quod genus virtus, scientia, veritas est; aliud autem non propter suam vim et naturam, sed propter fructum atque utilitatem petendam: quod pecunia est; tertium est ex omnibus partibus iunctum, quod ex sua vi et dignitate nos inducit, et prae se gerit quamdam utilitatem, quo magis expetatur, ut amicitia, bona existimatio.

CICER. De invent., II.

FRANCISCO DELLA CORTE

CAVENS MEDICO ILLUSTRI
ANNO QUINQUAGESIMO
A QUO IN ATHENAEO NEAPOLITANO
LAUREAE HONORE
DECORATUS EST

Haec quam caelesti niteat frons lumine cernts,
Quanta fides placido, lector, in ore cubet?
Est medici vultus pietate insignis et arte,
Patria quo tellus auspice celsa petit.
Est aetate gravis, minime sed mente senescit;
Circum illi risus spesque iocusque volant.
Felix ingenio, praestans sermone videtur
Esse senex, Colophon quem super astra tulit.



Scit quibus aegra modis et curis membra leventur,
Et vivus volitat grata per ora virum.
Morborum causas attente inquirere mavult
Ac prompte variis apta parare malis,
Quam male sorte frui quae multis praetulit ipsum,
Ipsum cui larga donat amica manu.
Fungitur officio decies iam quinque per annos,
Infirmos iuvit, sedulus arte iuvat.
Quod si quemque facit vitae experientia doctum,
Nostro quis medico doctior esse potest?
Expellens morbos, non aurum, poscit amorem,
Divino Coo non minor Hippocrate,
Qui ne desereret pollutam Palladis urbem,
Persarum renuit munera magna duci.
Cum Boreas spirat, Phoebus cum concremat orbem,
Tempora contemnens, itque redditque viis.
Est ubicumque dolor, bonus ut Podalirius olim
Helladis agminibus, fert miseratus opem.
Iure igitur, cives, illi solemnia fiunt,
Urbis qui solus robur et alma salus.
Finixerunt veteres vigilantia numina gentes
Quorum munus erat cuncta levare mala.
Imbuit a Medis Alcidis ad usque columnas
Victima Mercurio caesa crux focum,
Servavitque dei serpens Epidaurius aram,
Pharmaca cui curae, non violatus avis.
Hos inter sanctos, probitatis candida imago,
Te pono, laudis tactus amore tuae.

O salve, natale solum te laudibus ornat,
Cui prodesse dedit tot medicina modis.
Te Cava concelebrat, quisquis te diligit ultra,
Indigetem patriae tempus in omne vocat.
Salve cui placuit chartis incumbere doctis
A teneris, durum quem stimulavit opus.
Non est angustus studioso terminus aeri
Virtute insigni, nobilitate viro.
Non hominis dignum est vitam succumbere fato,
Cui Deus infirmis robora ferre dedit.
Sis igitur laetus, longaevus, docte Machaon:
Corporis, ut mentis, sit vigor usque tibi.
Intersis multos - nobis nil dulcissimus annos,
Ut liceat verbis ora tenere tuis.
Scrib. Salerni, Kal. Inn. a. MDCCLXVII.

M. GALDI.

DE FAMILIARIBUS INDORUM MORIBUS IN AMERICIS

HOMINUM peculiare hoc genus quod Europæi primi, Americae qui littora occupavere, constantissime et acerrime expugnabant, cuius deinde in terras multam nigritarum multitudinem servorum induxere, quorum postremo divitias Sinenses ipsi, turmatim immigrantes, diripere certatim modo contendunt, meliori sane fortuna dignum exstitisset.

Licet enim vetusta gens suis expers culpis non sit, multa tamen eorum moribus laudanda proferuntur, quae ne nostra quidem imitatione viderentur indigna. Primum enim inter tentoria tribus vel inter casas furti aut rapinæ metus est nullus. Eorum enim ostia nec seris, nec clavibus munita sunt. Modo nec domesticas inter septa varia loca parietibus dividuntur, sed patet omnibus aditus libetque singulis singulorum gesta explorare. Quae quidem publice quodammodo vivendi necessitas, quantum ad singulorum mores emendandos et continendos et confirmandos valeat non facile dixeris. A pueritia enim americanus Indorum puer fit legis observator fidelis, ne videlicet animadversione dignus censeatur, neve poenis a patre decernendis multo cum dedecore occurrat. Augetur contra laudis cupiditas et aemulationis studium inter fratres, qui omnibus quidem modis invicem decertant, ut coram patre et senioribus validores et meliores videantur. Habitus autem sive consuetudo ita effingitur eos inter incolas passim, ut quisque sua omnia gesta accurate et attente perpendat, et non nisi post maturam deliberationem aliquid agat. Quamobrem incolae quamvis rustici miram in omnibus videntur redolere gravitatem et agendi dignitatem insuetam praestare.

Est tamen in tentoriis omnibus vetustissimo ex usu cuivis ex familia locus addictus, ita plane ut sit certus matri, certus avo, certus patri angulus, sit filiis filiabusque, sit advenis et hospitibus decubitorum una semper eademque lege relictus. Ignis enim medius ardet, ostium orientem in solem patet; contrarium autem ad parietem hospitibus paratum semper stratum est. Prope ostium vero hinc et inde filii et filiae seorsim requiescent; illi enim patri, haec matri ministrant. Pueri nimurum docentur equis et armis intendere, puellæ vero



Binnenhof aedium prospectus,
ubi Haganus de pace conventus alter est congregatus.

coquinariae aut textili arti operam dare. Quae omnia adeo constanti lege distribuuntur, ut quisque, vel per tenebras casulam ingressus, varios incolas suis locis sedentes facile inventiat. Non omnes tamen res neque suppellectiles patris in dominium cedunt, sed tum uxorum nati suas quisque res habent, quibus libere utantur, quasque aut commutent aut venundent, neque de eorum usu ab uxore aut a liberis rationem expetere licet. Humanitatis peculiares modi in tribubus servantur, idque in ipso accubitu: viri enim talis innitentes sedent, mulieres contra pedibus obtectis id faciunt. Lex autem est ut advenienti seniori vel hospiti singuli ex improviso, non manibus aut lacertis innixi, sed sponte veluti elabentes assurgent, quod non facile aliquis, nisi a pueritia exercitus, perficiet.

Vetat pariter Indica humanitas ne quis hospitem rogitet aut sciscitetur, nisi antea refectum et refocillatum somno et cibo. Prima itaque conversatio de nugis est aut de quisquiliis; mox vero ad negotia fit aditus, quae interdum post biduum etiam suscipiuntur. Indici autem hospites matura aetate plerumque sunt; per raro enim iuniores viri alienam domum ingrediuntur et nonnisi ad cognatorum vel agnatorum domus accedunt. Quum vero quis ex una ad aliam tribus legationis causa venit, maximis tunc honoris significationibus excipitur; at si iunior sit, saepe inde discedit antequam nomen eius aut faciem iuniores ulli cognoverint.

Per Indicas domus denique puerorum magna apud parentes cura est; cum matre enim semper sunt eamque in omni opere adiuvant. Quum vero infantes sunt, assidua matris cura foventur semper. Quum itaque mater deambulatum exit, eos secum in capite defert, vel, si obequitet, ephippio suspendit.

Eorum autem lectulus ligneus plerumque, cui puer variis nodis illigatur, ne ipse axibus sese offendat; supino vero capite semper, ita ut passim depressa cervice Indici videantur. Ne

autem puer defleat, non cantinuenlis eum mater oblectat, sed peculiari quadam oris sonitu, strepitus illius omnino persimili, quem pinorum comae vento quassatae remittunt. Quando autem quintum aetatis sua diem puer attigerit, sua e gente seniores ad epulas invitant. Senior ex omnibus imponit puero nomen; nonnunquam porro peculiares religionis suppellectiles eum prope collocantur; tribus immo nonnullae propria signa eius in corpore describunt, aut legum verba, quae peculiares cuiusque tribus habentur. Ipsa denique calcea, ut praetexta apud Quirites, solemni ritu puerulo quum tempus est, adponuntur. Senior enim e tribu *In-shtà-sunda* selectus, cuius est solemne hoc adimplere, veris tempore paternis ab ulnis puerum suscipit; mater calceolos secum defert, atque tentorium ingressa: — « Peto, senex, — inquit, — meus ut puer calceolos ferat ». Tunc ille pueri capillos colligens eos omnes caedit: mox pedibus calceolos aptat, deinde puerum sustinens brachiis cum eo in orbem sese vertit, eumque paullatim in solo deponit, deum invocans Wakanda, ut ei benevolus fiat, ut pedes eius in terra diu ambulent, ut primos vitae gressus moveat feliciter.

Redeunti vero domum puero pectit comas pater iuxta peculiarem tribus consuetudinem, atque haec iterantur usque ad aetatem annorum septem quotannis. Postea tandem comas libere adolescere sinunt, et puerum ad morem tribus vestiunt.....

HAGANUS DE PACE CONVENTUS ALTER

BINNENHOF in aedibus illis Haganis, ubi iam abhinc novem annos primus de pace coetus a Russorum Caesare coactus convenit, iterum nunc omnium populorum legati sedent nova circa tantum idem argumentum disceptaturi.

At qnonam exitu? Varia enim his diebus de re agitata sunt, eoque magis post Austriaci Germanicique gubernii declaraciones, se minime participes esse velle disputationis, si quidem legati aggrediantur, de minuendis in singularis nationibus armis; quamquam negandum non est coniecturas huiusmodi longe aliter plerumque a cogitatis evasuras. Est itaque plurimorum opinio eo quæstionem iri adductum ut, nisi plane evolvatur, notabilem tamen ad optatum finem faciat progressum.

Neque absonum a re videtur conventionem an. M DCCC XCIX initam opportune nunc perfici posse tum circa neutrius partis in bello, prout dictitant, favorem, tum circa subaqueorum armorum usum, tum de officiis consiliorum ad inquirendum deputatorum, tum denique de arbitris lege adeundis.

Quidquid vero futurum sit videbimus; sat hodie erit humanitatis hunc insignem conatum bonis omnibus persequi; quum tamen conqueri hand neglegamus quod hac etiam vice in Haganico coetu legatus illius, qui vere in terris pacis administer primus exstat, minime reperiatur.

COLLOQUIA LATINA

Lusus velitaris⁽¹⁾

PETRUS. — Heus, heus! Adeste; suntne qui lusu velitari cupiant nobiscum contendere?

PAULUS. — Hic mihi lusus arridet praeter certos.

JOSEPHUS. — Et etiam mihi: corpus enim exercet, famem acuit.

ADELIANUS. — Agedum, discurrendo obsonemus famem.

PHILIPPUS. — Immo vero frigus depellamus: totus algeo.

PETR. — Totus aestuabis e vestigio; hoc in ludo te adde socium.

PHIL. — Addam enim vero; eo accurrebam.

PETR. — Bono numero convenerunt sodales: auspiciemur.

PAUL. — Nondum; etiam unus deest. Accersam ultimum. Heus, Roberte; unicus desideratur collusor; placetne velitemur curriculo?

ROBERTUS. — Lassus sum ab hesterno certamine....

PETR. — Non meministin' clavum clavo quod aiunt? Age, segnitiem execute.

ROB. — Tentabo tua gratia; aggrediamur.

PETR. — Deamo te ob tuam illam facilitatem. Proximum est ut duces partium eligamus. Quos censemus strenuissimos, socii?

ROB. — Tu, Petre, alterius cohortis dux es.

PETR. — Quid si tu ipse, Roberte?

ROB. — Nou ausim suspicere. Petrus esto.

FRIDERICUS. — Nos Petro Paulum opponimus.

PAUL. — Metuo ne congressus sit impar. Tamen subibo aleam, tametsi Petrus sit cursor velocissimus.

PETR. — Immo tu, Paule, cervum cursu antevolas.

(1) Ex dialogorum libro ANTONII VAN TORRE S. I. Antwerpiae ed. an. MDLVI — Passim retractavit L. F.

PAUL. — Experiendum est. Sortiamur quis comilitones prior eligat.
 PETR. — Fiat. Nummum in altum eiaculare.
 PAUL. — Utrum mavis faciem? Pronam an supinam?
 PETR. — Euge! secus accidit: facie signatum latus pronum eecidit, et mihi ex sententia: mea est optio. Guilelmum mihi primum assumo.
 PAUL. — Contra statuo Robertum.
 PETR. — Noster erit Iosephus.
 PAUL. — At meus sit Adrianus.
 PETR. — Friderice, accede ad nos.
 PAUL. — Vah! tu etiam, Aloisi, superes? Quid te oculis? Te maxime cupio.
 PETR. — At ego te, Philippe: praesto sis.
 PAUL. — Nec Ioannes aspernendus est; veniat!

quisitioni. Interim, ne qua frans interveniat, omnes pariter a lusione abstineto. His legibus standum est cuilibet.
 PAUL. — His legibus inchoemus. Verum assignanda prius utrius cohorti castra et carceres.
 PETR. — Nihil magnopere refert utro loco figamus castra: tibi, Paule, eligendi optionem defero.
 PAUL. — Quoniam defers, accipio. Nos ad hanc columnam stationem eligimus.
 PETR. — Nos ad illam ex adverso arborem castra locabimus. Carcer esto noster istaec columnae tertia.
 PAUL. — Noster porro istaec ianua.
 PETR. — Videtis, ut aequali spatio career a stativis vestris absit ac noster a nostris.

PHIL. — Placet: illorum stabo iudicio. Adriane, exquire.
 ADR. — Quid censem, spectatores? Nonne Aloisius a tergo Philippum ad vestem attigit?... Aiunt universi attigisse.
 ALOIS. — Sequere hue, age ad carcerem.
 PETR. — Tandem et vos primi lacescite: nos identidem excurrimus.
 PAUL. — Euge, Petre, hac me insequere.
 PETR. — Hand feres impune; non effugies.
 THOM. — Philippe, tu ad captivos advigila, ne quis eos inopinato liberet.
 FRID. — Dixisti in futurum? Captivos enim reduco.
 MARIUS. — Fit ab adversariis nobis iniuria: peractis excursionibus suis non revertuntur in campum. — Roberte, legatus ad eos ac-



Binnenhof aedes et lacus Vyver, Hagae.

PETR. — Commilitones, horum uter est pedibus celerior?
 IOSEPHUS. — Thomas longe est celerrimus.
 PETR. — Accedat huc.
 PAUL. — Tu, Mari, mihi es novissimus; sed non eris in cursu; te novimus.
 PETR. — Priusquam lusum auspicemur, promulgantur huius certaminis leges, ne quis harum ignarus noceat forte fortunae, quum prodesse voluerit.
 PAUL. — Recte mones.
 PETR. — Lex prima: Intra castra quivis ab hostibus et ante et post excursiones tutus esto. — Secunda: Qui prior ad lacesendum hostem e castris procurrit, eum si forte quis adversarium insequens attigerit, captivus in hostiles carceres adducitor. — Tertia: Tantis per captus apud hostes persistito, dum eius commilitonum aliquis manum extensam aut aliquam vestis ipsius partem attingat: tum ad suos liber ei redditus esto. — Quarta: Hostis nullum ex hostibus, praeter eum qui ante se proxime e castris egressus est, legitimate capito. — Quinta: Si, dum fiunt excursiones, cohors altera stativa sua ab omni praesidio vacua relinquat, iure ab hostibus occupantur. — Sexta: Interceptis castris aut virtute aut dolo, item captis universis, victoria parta esto. — Septima: Si qua controversia inciderit circa lusum, loens detur dis-

PAUL. — Nihil admodum est discriminis.
 PETR. — Sane aliquot passuum intervallo videtur propior: tamen ex hoc tibi largiar.
 PAUL. — Sit ita. In stationem quisque suam se recipiat, bonisque rem avibus ordiamur.
 PETR. — Heus, Ioseph, primus hostes lacesce; tu, Philippe, subsequere. Vos, observate periclitantes.
 PAUL. — Quo simul omnes ita proruitis? Vi- ciessim excurrrite.
 PETR. — Thoma, tu fer suppetias Guilelmo; periclitatur. Acceleras... Quid hoc rei? Captivus e nostris primus abducitur.
 THOMAS. — Eum brevi in libertatem vindicavero.
 ADR. — Age, Guilelme, mea tu praeda es: carcerem subi, heic consiste.
 GUILELMUS. — Variat et mutat vices fortuna.
 ALOSIUS. — At ego Philippum apprehendi, nec vult sequi in carceres.
 PHIL. — Tetigistin' mei quidquam?
 ALOIS. — Tetigi vero.
 PHIL. — Nego enimvero.
 ALOIS. — Non ego tuum a tergo thoracem attigi?
 PHIL. — Non, quod senserim.
 ALOIS. — Proxime aberat ut manu te sistirem.
 PHIL. — Non tibi assentior.
 ALOIS. — Quid altercatione est opus? Spectatores consulamus.

cede: ludant legitime, vel a ludo desistant; nobis non placent fraudes.
 ROB. — Sic fecero. — Heus, heus, o socii, tunte mihi stationem vestram adire licet?
 PETR. — Tuto. Quidnam rei est?
 ROB. — Nostri mala vos fide ludere asserunt.
 PETR. — Quid ita vero?
 ROB. — Quoniam intra stativa non regressum repetitis.
 PETR. — Id si commissum est, nescio; in posterum cavebitur. Agendum, commilitones, ludum redintegremus. Vivi iam estote: nostra est Victoria! — Viden' Guilelme, universos hostes e castris exurisse? Vacua occupa; sed quasi aliud agens, a tergo incautos circumveni.
 IOS. — Meus es, Roberte.
 ROB. — Immo, Ioseph, tu meus. Posterior ego statione egressus sum; tu prior.
 IOS. — Non desines iurgare?
 ROB. — Non ipse desines? Iamiam praeteriens in castra redivi; recens te insecurus sum.
 IOS. — Quis vidit? Quem testari potes?
 ROB. — Quemvis adstantium.
 IOS. — Itane est, Friderice, ut dicit?
 FRID. — Ita est; illi proximus aderam.
 ROB. — Dolo igitur malo usus est.
 IOS. — Dolus an virtus quis in hoste requirat?
 Abi, sis, ad carceres.

PAUL. — Alternis provocemus. Praecursorem emittite etiam vos aliquando.

PETR. — Ultimum emisimus Pauli prius.

PAUL. — Salva pace, Aloisius noster iamiam rediit: vix a cursu animam trahit.

PETR. — Quid rixamur? Mari, fac unum curieulum. Videamus hostem metuere.

MAR. — Agam.

PAUL. — Tu ad eos una contende, Adriane; sed a fronte, ne ad Marium advertant a tergo insidiantem.

MAR. — Io triumpha! Castra hostilia victor invasi: capti estis ad unum omnes. Paule, quoniam afficiuntur victi suppicio?

PAUL. — Dimittantur. Sufficit nobis victoriae gloria.

SS. D. N. PII PP. X IUBILAEUM SACERDOTALE

A Consilio Centrali ad sollemnia promovenda quinquagesimo redeunte anno a quo primum SS. D. N. Pius PP. X sacra litavit, hanc epistolam ad omnes Episcopos missam accepimus, quam libenti animo edimus:

Illūne et Revñe Domine,

Consilium Centrale Romae constitutum ad Catholicorum omnium participationem promovendam sollemnibus anni quinquagesimi ab inito Pii PP. X sacerdotio, quae faustissima celebratio, annuente ipso SSmo, erit die xvi mens. Novembr. M DCCCC VIII, per circulares — quas vulgo dicunt — litteras, universos Christifideles ad ipsa sollemnia invitavit. Iis excitamentis etsi plerique permoti in dilectum Patrem quasi certamen amoris nobilissimum instituerint, non defuerunt tamen qui, animo suspensi atque incerti quo peculiariter sese verterent, nullum adhuc consilium de re sint aggressi. Tempus interim cito dilabitur, nec sinet haesitantes ea quae fortasse animo agitant ad optatum finem perducere; fietque profecto ut ex rerum agendarum coacervatione multo magis implexum atque impeditum reddatur opus, cui pro viribus nos atque omni animo adsumus.

Itaque benevolentia tua freti, iterum a Te, Excmō Dñe, per has litteras petimus, ut quantum est situm in Te, viarum nobis asperitatem hanc ultro explanans, auctoritatem tuam ita interponas, ut, ubi nondum exstant, coetus ii congregentur, per quos communibus operibus ad Pontificium Iubilaenum celebrandum, brevissimo quo licebit temporis spatio, in dioecesi tua manus admoveatur.

Opera autem, quae haud inutile erit in memoriam revocare, sunt haec:

1) Oblationum collectio e Christiadum filiorum amore profluens Pontifici veluti eleemosyna sacrificii tradendarum fausta illa redeunte luce, qua sacerdotium quinquagenis ab annis ipse Pontifex auspicatus est.

2) Conventus inter Iuvenilium Societatum legatos ab omnibus nationibus missos, Romae agendum.

3) Earundem societatum peregrinatio, quum praefatus conventus habebitur.

4) Calix aureus, qui veluti Inventutis catholicae unlusciansque nationis tributum observantissimum Bmo Patri deferatur die festo Iubilaei, ab Ipso in sacris adhibendus.

5) Stabilia opera pro inventute singulis locis indicenda ad memoriam faustissimi eventus.

6) Institutiones ad auxilium pietatis, morum, humanitatis emigrantibus maxime ferendum.

7) Sacrarum vestium rerumque lintealarum, cotidiani usus praesertim, expositio, quae a Societatibus foemineisque Institutis, puellarum praecipue, colligendae erunt pro Ecclesiis indigentibus, arbitrio Pontificis relinquendae.

Haec responsura votis nostris eademque cessa in maiorem Dei eiusque in terris Vicarii gloriam, itemque ad religiosae vitae incrementum dum erecto animo confidimus, gratum est simul nostrae observantiae sensus Tibi rursus profiteri. — Famuli addictissimi, etc.

— Celebrans in die Purificationis ac Dominica Palmarum, completa candelarum aut ramorum distributione, debet pro ineunda Processione incensum ponere in cornu Epistolae, ubi iam reperitur, quum ibi orationem ultimam recitarit; non debet se prius ad medium altaris pro thuris benedictione conferre. Idem, postquam dictum fuerit *Procedamus in pace e suppedaneo in planum descendens* debet ad altare conversus debitam ei reverentiam facere; non, utpote inchoata a praefatis verbis Processione, debet conversionem ad altare et omnem ei reverentiam omittere. Porro recedens ab altare ad abacum ut alia sumat paramenta, et ab abaco ad altare revertens, ut etiam contingit singulis diebus Dominicis post aspersionem aquae lustralis, si Sanctissimum Sacramentum in tabernaculo reperiatur inclusum, genuflexionem non in plano praestare debet, sed in infimo altaris gradu. (Ex deer. d. i mens. Februarii M DCCCC VII).

DIARIUM VATICANUM

(Die XXI mens. Maii — d. xx mens. Iunii M DCCCC VII)

Coram SSmo admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites, aliasque viros, qui sui cuiusque muneris gratia Pontificem de more adire, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: Aloisius Duchesne, antistes Urbanus, Historici Gallorum Instituti Romae moderator; Maria, Ducis Saxonum vidua, cum Beatrice filia et Leopuldo e Battenbergensi domo principe; Nicolaus Szécsen de Temerin, legatus extraordinarius atque administer Austrorum Hungarorumque apud Apostolicam Sedem, eiusque uxor; Montis Dracoris Dux Urbanus eiusque familia; Benedictus Piani, Abas generalis Monachorum Camaldulensis cum consilio Ordinis sui; Antonius Moque, Vicarius Generalis Canonicorum Regularium ex Immaculata B. M. V. Conceptione eiusque adistentes; Hyacinthus Cormier, Magister generalis Ord. Praedicatorum cum consilio pariter Ordinis sui; Consilium maximum Ordinis Servorum B. M. V.; Thomas Kennedy, rector Urbani collegii Americanarum foederatarum civitatum, cum suis alumnis; Anglici nautae ad Neapolitanum portum appulsi; Antoninus Salviati, Dux Urbanus; Ludovicus Rospigliosi, Princeps Urbanus eiusque uxor; Wilpidus Laurier, Canadensis minister primus cum Aloisio Paulo Bradeur, navalibus Canadensis rebus praepositus; Ramon e Sancta Maria ex Hispanica legatione apud Apostolicam Sedem; Henricus Kambo, S. Marinensis civitatis iudex, pontifici offerens numisma ad diem commemorandum cumsum, quo civitas ipsa ad veteres constitutiones redit; Anglici nautae ad Centumcellas appulsi; Alexander Ruspoli, Princeps Urbanus, S. Hospitii Magister; Baltazar Odescalchi, Princeps Urbanus cum uxore et Paula filia, Carega Marchioni, et ipsi coram adducto, proxime nuptura; Guilelmus Giles, episcopus Philadelphiensis, Urbani Anglorum collegii rector; Henricus Kurdisier, procurator Generalis Ord. S. Dominic; p. Henricus Hock, Galici Seminarii Urbani rector; Iosephus Lancellotti, Princeps Urbanus cum uxore et liberis; manus peregrinorum Hispanorum et Galorum ex Terra Sancta reducum.

Pontificiae electiones.

— Inter episcopos Pontificio solio adstantes eliguntur Augustus Sili, archiepiscopus Caesarien. Ponti et sacrarum largitionum magister; Petrus Gasparri, archiepiscopus Caesarien. Palaestinae, Congregationis Negotiorum Ecclesiasticorum extra ordinem a secretis; Diomedes Panici, archiepiscopus Laodicen., a secretis SS. Rituum Congregationis; Aloisius Lazzarelli, archiepiscopus Iconien.

— Ritus vir Achilles Martini, S. Consistorii advocate, inter antistites Pontificiae domus refertur.

Vita functi viri clariores.

Die XXVI mens. Maii, Limae in urbe Peruviana civitatis capite, Emanuel Tovar, illius metropolitanae ecclesiae archiepiscopus, Sayan in oppido natus d. X mens. Maii MDCCCXLIV, episcopus Marcopolitanus creatus d. IV mens. Iunii MDCCXCII, ad Limanam sedem promotus d. XXII mens. Augusti MDCCXCVIII.

— d. IV mens. Iunii, Iaca-Regali in Siculis Gerlandus Gennardi, Iaciensis dioecesis episcopus ab anno MDCCCLXXII, Agrigentum natus d. IX mens. Septembr. MDCCXXXIX, vir sapientia et pietate insignis.

Varia.

Die IV mens. Iunii studiorum Pontificia constitutio pro Italiae Seminariis vulgatur.

ANNALES

Gallicae seditiones.

Gallorum res gravissimo fato agitantur. Vi-
norum enim productores, qui meridianas civi-
tatis terras colunt, in rempublicam non sine
causa insurgere et conserere manus audiuntur.
Saccarinae enim omnis mercis imminuto vecti-
gali, saccari pretium ita vilesce oportuit, ut
palam omnibus vinum adulterantibus modus
illud corrumpendi et fabrefaciendi factus sit.
Seditioni principes facti sunt Ferroul, Narbo-
nensis olim curio, atque Marcellinus Albert,
populi in comitiis orator; quorum audaciam
alii quoque civitatum curiones sequuti, suo sese
munere abdicarunt, atque una cum populo
coniurarunt nulla iam amplius tributa sese,
nisi mutata lege, gubernio soluturos. Deinde
in vias et plateas descendentes eiusmodi tu-
multus fecere, ut opus fuerit militum cohortes
mittere, qui tantam iram cohiberent. Minita-
bantur enim sese turmatim Lutetias Parisiorum
prefectos, ut ibi quoque ignem seditionis in-
cenderent. Inter quae vero illud gravissimum
contigit, quod ipsa militum fides nutare ap-
paruit; quinimo ex decimaseptima peditum
legione integra cohors susceptis armis loco suo
abiit et in hibernia rediit. Verum ad meliorem
mentem brevi conversi, arma milites depo-
suere; qui poenae nomine armata manu ad
Antibos portum deducti sunt, navibusque in
Africanam coloniam transmissi.



Regales feriae.

Haec inter Norvegorum rex et regina ad Gallos visitandos descenderunt, multoqne honore excepti sunt. Amicitia enim quae Norvegos inter et Gallos intercedit antiquissima est et viva semper. Paulo post Oscar Sueciae rex una cum regali uxore decimum ab initis nuptiis lustrum celebrarunt. Regalibus hisce feriis omnis natio mira concordia et praeclaro studio consensit; quinimo finitimi ipsi Norvegi, qui recens a Suecia secesserunt suum sibi regem eligentes, veteris regis sollemnia sibi quoque dilecta publica attestatione ostenderunt.

Budae in urbe similes feriae magna pompa habitae sunt ob iubilarem diem Francisci Iosephi, Austrorum Caesaris, qui abhinc annos

quinquaginta, Sancti Stephani regali corona praeceps est. Senem erga regem tum populus tum optimates concordia mirabili sua studia pandidere; maxime autem Episcopi et clerics omnis. Sacrum itaque solempne in cathedrali templo celebratum tanti dici in memoriam rite fuit. Paulo post Vindobonae Elisabeth, uxoris eius piissimae, sicarii ferro crudeliter enecatae, marmoretum signum inauguratorum. Adfuit Caesar, et gaudere se professus est quod tam arcto vinculo populum sibi devinctum sentiret.

Modo Mecklemburgensis dux Albertus Ioannes Brunswicki ut ducatus sortem regeret interim electus est, atque composita hoc modo ad tempus lis, quae de hac ditione, post obitum Alberti Borussiae Principis, exorta inter Germanicum Caesarem erat et Cumberlandensem Anglicum ducem. Solemniter igitur heic quoque novus regulus cum uxore sua urbem regionis caput ingressus est, quam eo usque reget, quoque pugnantia iura componantur.



Lusitanorum discordia.

Ob dimissos in Lusitania regali decreto populi oratores haud pauci conabantur ut seditionis populi pars in regem odia et coniurationes commoveret. Neque aberant qui dictitarent optimates quosdam ad Michaelem e domo Bragantia, regnum Lusitaniae iamdiu exoptantem, esse prefectos, ut civile bellum compararent. Verumtamen quum Carolus rex regalisque filius Arganil ad urbem profecti essent, ut militum exercitationibus adessent, ex concordi populi militumque plausu apparuit, quid hisce de vocibus sentendum esset: quae quasi nebulae meridiano oberto sole diffugere visae sunt.



Orientales tumultus.

Gravius factiones flagrant in Mauritania, in Perside, in Sinis. Illic Rohannae tribus in Europaeos nova semper odia movit, dum rex Raisulum contra perduellum principem arma gerit adhuc; in Persia civile bellum regem inter atque fratrem eius ducitur, in Sinis denique Hong-Kong in provincia perduellionum ignis debacchatur. Quamquam postremam hanc rebellionem cito iri perdomitam nuntiant. Mauritana vero quando silebit?



Haganus de pace conventus alter.

Coactus est autem tot inter perturbationes Haganus coetus alter de pace, ac quatuor iam delectae sunt virorum curiae, quae singulas disceptandas res primum examinent et ad trutinam revocent. In hisce Germanica rogatio adnumeranda est de tribunalis instituendo, cuius ad sententiam in litibus de praedis maritimis appellare fas sit, et Americana alia rogatio, quae fieri postulat ut gentibus singulis aes alienum subditorum suorum armata vi repeteare ab insolventibus liceat.



Facis novum foedus.

Angli, Iberi, Gallique post foedus Gallos inter et Iaponios de coloniis in ultimo oriente

protundis publicato, aliud sua vice iniere de africanis coloniis defendendis et tutandis quae Atlanticum litus tangunt; quod non sine laetitia, ut novum pacis pignus, omnes gentes libenter audivere.

PUBLICI PER ORBEM COETUS LEGIBUS FERENDIS

In Anglia magis in diem discordia augetur atque aemulatio inter populares oratores atque senatores, cuius exitum nemini adhuc praenuntiare fas est.

In Austria novorum legatorum auguralis sessio habita est, qua coram ipse Caesar orationem eximiam habuit ut ad pacem concordiamque omnes animos componeret.

In Bavaria comitiis universorum suffragio primum habitis, electi sunt maxime oratores populi, quorum plerique Ecclesiae et Fidei favent.

In Chilena Republica, novi omnium publicarum rerum gestores et curatores delecti, qui munus suum iam suscepere.

In Ispania rogatio de emendando et exercendo iure oratores populi eligendi a domesticae rei curatore suprmo in comitiis oblata est.

In Italia lata ad tempus lex pro examinibus in scholis secundi ordinis; praeterea militares expensae auctae et de laboribus mulierum puerorumque emendatae regulae.

In Persia comitia legumlatorum iterum inita hisce diebus fuere, dum pax restituta videtur.

In Russia, aucta sensim discordia inter variis oratorum popularium factiones, contigit tandem ut de dimittendis rursus legatis omnibus decretum a Caesare editum sit.

In Serbia administrorum collegium suo a munere discessit: rediere tamen ad magistratum omnes, si Proti tantum exceperis.

PER ORBEM

Die XXIII mens. Maii per Sueciam omnem iubilaria sollemnia peraguntur, ducentesima redeunte die, ex quo Carolus Linneus, celebrimus ille botanicae doctrinae instaurator, vietae lumen adiit.

— d. XXIV ex Transvaaliana regione nunciatur fodinariorum effosorum ab opere desertio, aliquot ante diebus exorta, late cum tumultu ac seditionibus propagari.

— Similia Interamnae ab operariis officinum ad chalybem pro loricatis navibus effundantur.

— XXVII Adulfus Retté poeta, « edyliorum diabolicorum » auctor notissimus, post longos animi errores, ad patrum catholicam fidem humiliter reddit.

— XXVIII legatorum Brunswickianus coetus plenis suffragiis ducatus regentem elegit Ioannem Albertum e gente Meklemburgensi, regnantis ultimi ducis patrum.

— d. XXX Bellogradi moritur Milorad Mitrović, Serborum poeta nostra aetate facile princeps.

Die i mens. Iunii in Gallicis portibus omnibus nautici ex condicto a laboribus recessunt, magno enim civitatis detrimento.

— d. ii Romae, aërostatus, militum exercitationibus adhibitus, intra nubes fulmine incenditur; mortem horribilem eius dux obit.

— d. vi incendium omnino destruit Stolbzy oppidum Minskensis Russicae provinciae. Quingentae domus et ultra flammis absuntur.

— d. vii Stoccolmae magna pompa universo populi plansu aureae nuptiae, quas vulgo dicunt, Oscarri regis cum Sophia regina celebrantur.

Radegand, septuaginta et sex annos natus, fato concedit Carolus Braun e S. I. astrorum scientia peritissimus.

— d. ix Montis Pessulani, in urbe inferioris Galliae, populus qui vini commercium exercet, ad comitia vocatus, ad quinques centena millia hominum convenit atque contra gubernium defectionem attentare statuit, nisi immo- dica vectigalia auferantur. Rebellio hic illic reapse oritur, quae tamen intra paucos dies sedatur.

— d. xiv Valdiviae, in Chilensi civitate, terae motus ingens damna non quidem levia procurat.

Muggiani, in Lunensi portu, navalia incendio pessum dantur.

— d. xx Neapoli curruum electrica vi actorum ductores, et ipsi ab opere recedentes, tumultus movent.

LIBRORUM RECENSIO

De claris Sodalibus Provinciae Taurinensis, S. I., Commentarii conscripti a P. SALV.^e CASAGRANDI ex eadem Provincia. — Excudebat Augustae Taurinorum Iacobus Arneodus eques MCM VI. (Vol. in 8°, mai., pag. XII-336 — Ven. lib. 4, 50).

Inter libros latine conscriptos, qui postremis hisce annis in lucem prodierunt, pauci profecto tantum deus, quantum hi Commentarii, litteris latinis addiderunt. Quorum auctor se prodit historicum, non solum diligentem atque accuratum, verum etiam mire ingeniosum, qui gesta eorum de quibus agit, ex idoneis fontibus collecta, perspicuo ordine disponit, brevique describit stilo, ad classicorum puritatem atque elegantiam comparato. Evidem videbar mihi, has paginas pervolventi, alterum legere Cornelium Nepotem, heroes christianos christiano calamo celebrantem.

Quem sibi finem scriptor proposuerit, ipsius verbis inverit accipere; simulque licebit facilem et castigatam eius latinitatem paucis delibare. « Commentarios — inquit — in vulgus edo de claris Sodalibus Provinciae Taurinensis Societatis Iesu; de iis scilicet qui, vertente saeculo XIX, vel pietate, vel doctrina, vel rebus gestis adeo praestitere, ut domi forisque plurimum innotuerint. Hos equidem paene omnes coram novi, eorumque praeclara facta vel dicta ita animo insculpsi, ut eadem etiamnum videre vel audire videar. Itaque, antequam mors me testem e paucis superstitem intercipiat, haec omnia summatim posteritati consignare operae pretium existimo ».

Selegit autem Casagrandius Sodales triginta quinque, quorum elogium texeret. Ex his, ne longus sim, aliquos saltem recensere liceat nominatim, ut Carolum Emmanuelem, iam Sardiniae regem, Isaiam Carminati, Fridericum Tornielli, Alexandrum Ponza a S. Martino, Iosephum Paria, Iosephum Boero, Fran-

cisum Pellico, Secundum Franco, Iosephum Oreglia a S. Stephano, Aloisium Taparelli ab Azelio et Ioannem Perrone.

Volumen hoc nitidis excusum typis atque iconibus illustratum, lectoribus Commentarii *Vox Urbis* secundum sane erit, ut mihi quidem iucundissimum fuit perlegendi degustare; neque eorum quemquam litteraris hisce epulis induxisse poenitebit. Quod si fecerint, opus simul christiana caritatis perficient, quum liber editus sit beneficio Missionum, quas Societas Iesu per « Montes Saxosos » Californiae et Alaskae passim constabilivit.

FRANC. XAV. REUSS.

Dott. DONATO TAMILIA. — M. T. Cicerone. — La II orazione Filippica con introduzione e note. — Edidit Remus Sandron Regiae Aulae librarius Mediolani, Panormi, Neapoli, MCM VII (Ven. lib. 1,80).

Novi aliquid cum utilitate coniungere propositum fere iis omnibus est, qui antiquae artis exemplaria illustrant et ingenuorum adolescentium manibus terrena proponunt. Id, non communi sane fortuna in tanta ingeniorum contentione, consequutus esse videatur cl. doctor Donatus Tamilia, qui Tullianae eloquentiae monumentum, eius oratoris forte splendidissimum, sic est complexus, ut nihil ferme desiderandum reliquerit. Nam, praeter diligentissime curatam editionem, sumum cuique capiti titulum rerumque summam praeponit, quo vitatur incommodum intermittendi lectio- nem referendique identidem oculos ad singulas notas. In his autem nulla pompa arcessitae eruditio, nulla circa codicis variationes, citra necessitatem, disquisitio; non congesta grammaticorum praecepta, non revocata sexenties quae de latino dicendi genere multi scriptores tradiderunt. Nec enim ita exponenda sunt omnia, ut nullus relinquatur discentibus locus, in quo ingenium exercant, nullus docentibus, in quo doctrinae sua specimen edant. Quod si optima omnium illustratio in recta sententiarum ac verborum interpretatione consistit, haec profecto laus ad Tamiliam pertinet, italicice reddentem usque felicissime.

Magni etiam facienda quae operis initio exponit de illo aestu belli civilis, de occasione scribendae orationis Philippicae, de tempore quo fuit edita, de eiusdem excellentia, cuius partes omnes diligenter aequa ac dilucide describit. Peropportune autem factum videtur, quod, quum plerique passim et per occasionem aliquid notent circa numerum Tullianae orationis, ipse in praemissso sermone rem tanti momenti dedita opera sit persequutus.

Igitur qui velit Philippicae orationis, non solum admirari nervos, sed singulas veneres consecrari, unde exquisitum dicendi genus acquirat, perlegat librum Donati Tamilliae. In quo viro optimam scribendi consuetudinem esse cum doctrina coniunctam, non modo nos affirmare possumus, qui eum novimus e nostra disciplina profectum, sed scripta illa declarant paucis ante annis ab ipso edita hoc titulo: *Varia latine expressa soluta oratione*. Eius operis, a Joanne Baptista Gandino commendati, nostroque inscripto nomine a Donato nobis humanissime exhibiti, in commentario *Vox Urbis*, anno M DCCC XCIX, iudicium fecimus.

P. ANGELINI.

LIBRI RECENS DONO ACCEPTI.

Socios et lectores admonere iuvat, libros recens editos atque ad nos missos ut in Voce Urbis eorum notitia detur, apud administratorem nostrum, nisi contra aperte declaretur, minime venumdar. Si quis igitur alterum eorum sibi cupiat, petat necesse est ab editore, quem semper indicamus.

P. TITO MONTESANO Lett. Gen. O. F. M. Sintassi latina, corso superiore. — Hierosolymae, ex off. PP. Franciscalium, 1907. — Ven. lib. 4,50.

DE BROGLIE. Le condizioni moderne dell'accordo tra la fede e la ragione, con prefazione e note di Agostino Largent. Romae edid. Desclée, Le febvre et soc., 1907. — Ven. lib. 1,80.

ENRICO JOLY. Sant' Ignazio di Loyola. (Ibid.). — Ven. lib. 2.

La Santa Casa di Loreto secondo un affresco di Gubbio illustrato e commentato da Mons. M. FA- LOCI PULIGNANI. (Ibid.). — Ven. lib. 2.

A. DE LAPPERT. La provvidenza creatrice. (Ibid.). — Ven. lib. 0,60.

G. D'AZAMBUJA. Lo spirito cristiano e gli affari. (Ibid.). — Ven. lib. 0,60.

CARD. A. CAPECELATRO. Le vie nuove nel Clero, negli studi e nel culto divino. (Ibid.). — Ven. lib. 0,60.

ID. L'amore della patria e i cattolici particolarmente in Italia. (Ibid.). — Ven. lib. 0,25.

CIARABALÀ B. M. Armonie dell'anima. Versi. (Ibid.). — Ven. lib. 1.

E. BRÉMONT. Il Beato Tommaso Moro (1478-1535). (Ibid.). — Ven. lib. 2.

I. B. MENGHINI. Elementa iuris liturgici seu prolegomena in sacram liturgiam. (Ibid.). — Ven. lib. 2.

DOTT. GIUSEPPE BARONE. Lo studio della lingua greca moderna con un saggio bibliografico dei lavori grammaticali e di filologia neo-ellenica pubblicati dal sec. XVII al 1906. — Neapoli, ex off. M. De Auria, 1907. — Ven. lib. 1,50.

AENIGMATA

I.

Stans obtumesco; quae sim verum tamen aio;
Adstantes umquam cernere sed nequeo.

II.

Per fratrem cecidit, studio moderaminis orto.
Undis luctatur, dirigit atque citus.

F. X. B.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Commentarii moderatorem miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet opus, cui titulus:

VINCENTII LANFRANCHI
DE ORATORIBUS ROMANIS
ACROASIS.

Aenigmata an. X, n. IV proposita his respondent:

1) Pica-Spica; 2) Anna-lis.

Ea rite soluta miserunt:

Hermes Gini, *Aquis Taurinis*. — Petrus Tergestinus. — Georgius Németh, *Vasnádasd*. — Alex. P. Gest, *Trentonio*. — Guil. Schenz, — *Ratisbona*. — Frid. Heimann, *St. Gabriel post Mödling*. — Senior Astensis — F. Arnori, *Mediolano*. — Merkych, *Bellemagny*. — Ioan. Rappel, *Aurelianiano*. — Greg. Cleary, *Roma*. — Andr. Papay, *Barossáza*. — Fr. Bonaventura, *Aterno*. — Rich. Brondel, *Brugis*. — Ab. Ballerini, *Novocomo*. — Ios. Rainelli, *Gandiano*. — I. Rambaldi, *Geneva*. — I. Ortiz, *Morelia*. — Aug. Givanovich O. P., *Ragusio*. — Lad. Lud. Podobinski, *Bochnia*. — Ios. Questa, *Sustineo*. — F. Guerra, *Aletto*. — Theresia Venuti, marchionissa, *Roma*. — Vinc. Lakatos, *Keszthely*. — Rich. Lefebre, *Parisiis*. — Aug. Roberge, *Chicotino*. — Henr. Tarallo, V. Starace, *Neapoli*. — I. Walter, *Neo-Eboraco*. — Am. Robert, *Marieville in Canada*. — Call. Amalberti, *Albo Intemello*. — Rich. Müller, *Berlino*.

Sortitus est praemium:

GEORGII NÉMETH,

ad quem missa est IOANNIS BAPTISTAE FRANCESIA comoedia latinis versibus scripta, cui titulus:

SATURIO.

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus.

ROMAE — Ex officina *Facis*, Phil. Cuggiani.

(Passim retractavit hodiernisque scenis aptavit I. F.)

SEB. Palam probatum.

PEL. Fraude confictum. O brevem
Ne rumpe fando mentis accensae moram!
Tibi, Christe, vitam, pariter et mortem dico (1).
Salvete, plagae, sidera cruentae plagae;
Salvete, rutilae solis occidui faces;
Litoris Eoi gemmulae, rubei freti
Frontes cruento divites, victae stygis
Vexilla, mundi pretia, miserorum salus.
Vobis cruentis quidquid in venis calet,
Libens refundo. Nec semel satis est tamen
Fudisse; fas sit morte numerosa frui.
O liceat iterum vivere, atque iterum mori;
Liceat renasci saepe, quo vobis novum
Libem cruentem! Cumque Longimi sitim
Satiaro, regnum clarus Eoum dies
Niveaque pax irradiet, et quidquid bonis
Instat malorum, sanguis avertat meus.
Hac spe bipenni subdo fatali caput (2).

SCENA III.

SEBASTIANUS, PROCLUS, CIVES, MILITES.

PROCL.(3) Suspende ferrum, miles. O nefas!

SEB. (4) Feri.

PROCL. Desiste.

SEB. Percute.

PROCL. Siste.

SEB. Percute.

PROCL. Huc manum
Cives!

SEB. Peractum est! (5) Perdite rebelles! Ruant!
Ignavus ensem fucus in regem movet?
Obruite ferro; mactet opifex furor (6).
PROCL. O foeda sortis, foeda consilii nota!
Casus cruentus! Militum oppressi globo
Cives, atroci victima Gradivo cadunt.
Testis rubentem fusus in rorem cruentus,
Plagaeque hiantes. Ore iam primo sedet
Anima. Per omnes ferreum lethi gelu
Vagatur artus. Sancta, quae caelum colis
Iustitia, mitte fulmina, tyrannos crema!
Longine vecors, perfido impulsu fugas
Praecepit amicum? Fateor, emerui necem,
Merui repulsam, probra, ludibrium, iocos,
Qui sidus aulae, column Astraeanae, decus
Virtutis, egi voce mendaci reum.
Ignosce, Caelum. Mentis iniustiae piget.
Ulciscar hostes. Ibo quo iustus vocat
Ardor, nec ante sistet ultrices furor
Iras, nefandi quam sub Augusti fibras
Fratriisque pectus mucro condatur meus.
Et ecce Ditis monstra; me medicus vocat (7).

(1) Flexit genua ad Iesu imaginem, cruci fixi.

(2) Ad supplicium procedit, a nonnullis militibus tractus.

(3) Irruit in scenam, clamans.

(4) Milites extra scenam alloquens.

(5) Ad milites conversus.

(6) Cives repelluntur a militibus et Sebastiano pressi; Proclus vulneratur.

(7) Exit.

SCENA IV.

ZENO, LONGINUS, SEBASTIANUS, ANASTASIU, URBITIUS, PROCERES.

SEB. Stant fixa muris capita; funereum vide
Late theatrum.
ZEN. Pompa feralis placet.
LONG. Arridet oculis.
ZEN. Pascit obtutum cruentum.
LONG. Bene est.
ZEN. Beate est.
LONG. Prospere.
ZEN. Ex animo satis.
LONG. Pars nulla voti periit.
ZEN. Explevi sinus.
LONG. O plausus!
ZEN. O triumphus!
LONG. O felix dies!
I nunc, proterve; sceptra Longino nega.
Poenas, Pelagi, mentis inflexae luis;
Iam te triumphabundus extinctum videt
Longinus. O me gaudio undantem meo!
Iam probra passum, iam superbifico iuvat
Solio excidisse. Quam tenet oculos caput!
Quam satiat iras!
ZEN. Iam iuvat nigrum Stygis
Coluisse Dominum! Iuvat inexpleto domos
Vastasse funere! Iuvat insontes pari
Sontesque ferro messuisse! Plangite,
Ululate, pueri; flete singultu patres;
Mulcebit aures dulce plorantum melos!
LONG. Io triumphhe resonet infernum chaos!
ZEN. Adeste, Proceres. Faustus hic perget dies.
Dum scandit altum frater imperii gradum,
Regni auspicatus decora, luxurient opes,
Epulae struantur, Bacchus in vicem fluat.
Ades, Sebaste, regiam ad mensam comes;
Tu funde vinum, Anaste, Ganimedes minor;
Tu militares, Urbiti, ludos para. (1).

SCENA V.

ANASTASIU, URBITIUS, deinde MILITES.

ANAST. Tu militares Caesari furias para.
Ego vina fundam, vina queis mersus natet
Ad stagna Ditis. Alius ex alio scyphus
Inane regis obruet mero caput.
Promptas cohortes interim ad nutum tene.

URB. Ast ubi?

ANAST. Sub aulae moenibus.

Abunde est.

Vale(2).

URB. Sic tacita regum fata volvuntur. Dapes
Illi, iocosque pectore soluto colunt,
Dum saepe casus instat horrendi malum,
Scelerumque poena. En miles excubias agit (3).
(Ad proximum numerum).

(1) Exeunt omnes post Zenonem et Longinum, praeter Urbitium et Anastasiū.

(2) Exit.

(3) Milites caute ingrediuntur.

PROSPECTUS SUBNOTATIONIS
Comm. VOX URBIS in an. MDCCCCVII.

Premium annuae subnotationis est in Italia Libell. 4,80;
ubique extra Italiam Libell. 6,25; Doll. 1,25; Sch. 5; March. 5;
Rubl. 3; Coron. 6,25 *recto tramite* mittendum ad

ARISTIDEM LEONORI EQUITEM

COMMENTARI "VOX URBIS", POSSESSOREM ET ADMINISTRATOREM
ROMAM, via Alessandrina, 87.

PRAEMIA SOCIIS CONSTITUTA:

Ex subnotatoribus quisque KALENDARIO a *Voce Urbis*
expresse edito fruetur.

Qui socios novos comparaverit duos premiumque eorum
subnotationis misserit, subnotationem gratis omnino sibi habebit.

Qui triginta socios novos comparaverit ante Iulium
mensem – bibliopolis exceptis – dimidiatum premium itineris habebit a quovis Europae
loco ubi vivat Romam usque, atque inde in domum suam, secunda, prouti
vocant, ferriveharum classi usus.

Qui sexaginta socios novos comparaverit uti supra,
eodem itineri gratis omnino fruetur.

Kalendis Ianuariis MDCCCCVII "cumulativa," subnotatio instituta est
inter comm. *Vox Urbis* et Romanum diarium *Corriere d'Italia*.
Ven. in Italia lib. 18; apud exteras gentes lib. 34,50.